

XVIII. Hæc jura, quæ pastoralia dici solent, potissimum in administratione Sacramenti Matrimonii, & sepulchris locum habent: eo quod in his sine minoribus incommodis, & scandalo peti posse videantur.

Atque imprimis hic periculum non est, quod ob jura solvi consueverat taxata Matrimonium differetur aut omittetur; neque in ejus dilatione multum incommodi esse consuevit; nec sepultura ideo omittitur, aut si forsan non ea, quæ aliâ pompa fiat, nihil aut parum inde incommoditimidum; quemadmodum (uti ante monuimus) timendum est, dum Viaticum aut extrema Unctio, propter oblationes & expensas faciendus; differtur, aut etiam omittitur; unde numquam legitur, quod aliqua jura in horum administratione solvenda taxata aut præscripta fuerint.

XIX. Jura hæc in funeralibus aut contracta Matrimonii sovi solita, & à Superioribus ad certam quantitatem taxata, videntur in locum decimarum personalium (quæ de jure communi debentur, & hodie passim in desuetudinem abierunt) successisse; ut sicuti laici eo titulo debebant de omni suo lucro decimas dare Sacerdotibus, ita vice illarum solvant jure illa vel viventibus, dum Matrimonium ineunt, vel post mortem, dum sepeliuntur.

Hanc surrogationem in locum decimarum personalium non obscure expressit Synodus Attebatensis sub Francisco Richardo titulo de Sacramentis cap. 3. Cum enim cap. 2. mandasset, ut Pastores in administratione Sacramentorum, omnes avaritiæ sordes, & quæstus inhonesti & reprobi suspiciones evitent; ne mercedem (quæ si in rebus sanctis & spiritualibus commutatio illa justa esse queat) vel capiant, vel exigant lorde, deinde capite sequenti subjungit: "Sed tamen ubi solidi fructus nulli sunt, aut exigui beneficiorum Curatorum; & minores quam sufficiant alimoniam Pastorum: si populus se durum & avarum præbeat, nec liberaliter pro suo quisque modulo aliquid conferat Pastoribus Sacramentis ministrantibus; agi debet cum Majestate Regiæ, ut iisdem Pastoribus greges necessaria commode provideant, sive per decimas personales, quas certum est cessasse consuetudini laudatæ, qua populus pro administratione Sacramentorum liberaliter honorarium aliquod impendere solebat; sive alia quavis ratione: alioqui valde esset inhumanum laborem pastoralis officii requirere sine justa mercede & sublata omni ratione parandi victus & vestitus.

XX. Præterea in hoc Decreto notandum, quod dicatur, agi debere cum Majestate Regiæ, ut licet ad similia jura solvenda cogantur. Sciebant quippe hujus Synodi Patres, agrè permitti in Belgio vicinisque Provinciis, ut temporalia hujusmodi onera laicis citra contentum & auctoritatem Regis imponantur; neque facile ad eorum solutionem se constringi patiantur, nisi consensum Regis accessisse constiterit.

Hinc teste Antonio Anselmo in suo Triboriano Belgi-

co, cap. 33. cum de publicatione Concilii Tridentini tractaretur; eumque in finem ad Concilia Regia reformationis Decreta, expendenda missa essent, ad c. 4. Sess. 1. De Reformat. ubi datur Episcopis facultas novas parochias erigendi, & si necesse fuerit compellendi populum ea subministrare, quæ sufficiunt ad vitam Sacerdotum sustentandam communis nota fuit, compulsionem illam populi, & exactionem fieri non posse, sine auctoritate Regiæ, neque hanc jurisdictionem Ecclesiasticis iudicibus unquam competuisse.

XXI. De Sacerdotis honorario ex funerariis Sacrificiis operandum apud propheta judicem, & non apud Ecclesiasticum, judicatum fuisse anno 1532. refert Renatus Choppin lib. 2. de Sacra Politia tit. 2. n. 2. & pluribus confirmat Carolus Fevretius tractatu De Abusu lib. 4. c. 8. asseritque Senatam Regium solere improbare & cessare suspectis ac minus honestas exactiones, quæ in sacrorum administratione sunt; tamen si longa consuetudine firmatas; & à sententia iudicis Ecclesiastici similes exactiones adjudicante tamquam ab abusu ad Senatam Regium laicos appellare posse.

Decanus & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Engolismensis tamquam Pastores Primitivi cujusdam Ecclesiæ Parochialis condemnaverant Parochianos, ad solvendum quid modicum pro vino quoties communicarent, interjecta per Parochianos appellacione tamquam ab abusu, dictum fuit per Parlamentum Parisiense anno 1551. male & abusive judicatum.

XXII. Caterum, quacumque autoritate jura illa sint taxata, nemo non scit, quam difficulter illa sine omni fidelium scandalo, & offensione exigantur; & quam facile horum exactione nota sit populo ingerere suspensionem Sacramenta aliæque sacra officia à Sacerdotibus in tuitu retributionis administrari; ipsorumque Sacerdotum quæstui Sacra subseruire; dum vident, illa non nisi constituta mercede administrari; idque eo majore, quo solemnius administrantur.

Hinc non difficulter intelligitur, Superioribus tum Ecclesiasticis, tum secularibus allaborandum esse, ut quantum rerum conditio patitur, Pastoribus aliisque Ecclesiæ Ministris ita de temporalibus provideatur, ut ab ejusmodi scabiosis & suspectis jurium exactionibus abstinere queant quod nec difficile esset, si proventus Ecclesiastici iis, qui in Vineâ Domini laborant, juxta mentem Ecclesiæ & Fundatorum assignarentur: de quo latius infra ubi de decimis & bonis Ecclesiæ tractabitur.

XXIII. Denique ex dictis concludant Pastores alique Ecclesiæ Ministri, quod dum ob temporum deritum aliunde quam ex his juribus necessaria vivendi media non suppetunt, in horum jurium & oblationum receptione aut petitione, eam saltem servare studeant moderationem & circumspeditionem, ne avaritiæ turpissime quæstus notâ incurrant; qua ipsorum apud laicos ministerium vituperetur, & Sacramentorum aliorumque Sacrorum usus vilescat.

TITULUS II.

De Baptismo.

CAPUT I.

De Matrimonio & forma Baptismi, & quomodo hæc adhibenda.

- 1. Primum & maxime necessarium Sacramentum est Baptismus
- 2. Dicitur aliorum Sacramentorum janua.
- 3. Innocentius III. dubitavit num Ordo à non Baptizato susceptus esset invalidus: aliqua Sacramenta ab illo valide recipi posse credidit.
- 4. Credidit tutius Ordines à tali susceptos restandos.
- 5. In quo fundata fuerit resolutio Innocentii?

- 6. Non temere de suscepto Baptismo dubitandum.
- 7. Describitur Baptismus Flaminis.
- 8. Per Baptismum Flaminis quis salvari potest.
- 9. Patrum sententias acquiescendum.
- 10. Quid sit Baptismus Sanguinis?
- 11. Solutus Baptismus Fluminis habet rationem veri Sacramenti.
- 12. Forma Baptismi Latinarum.
- 13. Forma Græcorum non nihil in verbis diversa; eamque ut sufficientem probat Ecclesiæ Latina.
- 14. Expositio Cap. 1. De Baptismo.
- 15. Materiam Baptismi aqua naturalis.

- 16. Qua censenda aqua naturalis?
- 17. Extra casum necessitatis cum dubio liquore Baptizare non potest.
- 18. Ritus adhibendi aqua in Baptismo non ubique est idem.
- 19. Ecclesiæ Græca olim usæ fuit Immersione? & eam hodierna eorum Ritua præscribunt.
- 20. Idem ritus etiam apud Latinos aliquando usatus fuit.
- 21. Ritus Baptizandi per immersionem multis seculis in Ecclesiâ Latina perseveravit.
- 22. Baptizare per immersionem non spectat ad valorem Baptismi, sed ad disciplinam.
- 23. An per infusionem, an per immersionem Baptismus sit conferendus pendet à consuetudine & præscripto Ecclesiæ.
- 24. Debet aqua sic adhiberi ut sit ablutio, non aspersio.
- 25. Aqua sic infundenda, ut ipse baptizandus censetur verè ablutus.
- 26. Qua censenda pars notabilis ratione cujus Baptizandus dicatur ablutus.
- 27. Quomodo Græci aquam infundant?
- 28. Trina immersio multis Canonibus olim præcepta fuit.
- 29. Licet trina immersio videatur ab Apostolis descendere, non spectat tamen esse essentiam Baptismi.
- 30. Aliquando præceptum ut unica fieret immersio, & quare?
- 31. Regula que in hac disciplina diversitate tenenda est.

I. Primum inter Sacramenta numeratur Baptismus, de quo in Symbolo fidei Constantinobilitano dicitur. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et Synodus Tridentina: Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit, Sess. 6. De Baptismo Can. 4.

II. Quin & jam pridem à Theologis dicitur, Baptismum esse Januam aliorum Sacramentorum; id est, alia Sacramenta ad sui valorem requirere præviè in suscipiente Baptismum: quod sequutus Bonifacius VIII. in Cap. 2. De Cognat. spirituali in VI. vocat Baptismum Sacramentorum fundamentum & januam reliquorum.

III. Tempore Innocentii III. Id est, sæculo 13, dubium fuisse, an non baptizatus, qui tamen credere se baptizatum, non posset validè ordinari, manifestum est ex responsione ipsius Innocentii in Cap. 3. De Presbytero non baptizato; ubi ipse Pontifex multa adducit, quæ validitatem Ordinis ita suscepti evincere videbantur; itaque inter alia tamquam certum supponere apparet, quod illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quod Baptismus sit fundamentum illorum, quoniam & Sacramentum Conjûgit & Euchariæ ita non baptizatis recipi potest.

IV. Post hæc subjungit: "Quia verò in Concilio apud Compendium legitur constitutum, si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit se non baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur: nos circa latorem presentium in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes, mandamus, quatenus ipsi per singulos Ordines, usque ad Sacerdotum promovere procuret, & permittas eum in Sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratè, quod ambigitur esse factum: nec malè de Sacramento sentitur, cum illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit.

Ex his haud obscurum est, Innocentium de validitate suscepti Ordinis à non baptizato dubitasse; neque credidisse, Baptismum esse fundamentum omnium Sacramentorum.

V. Ad hæc sat patet, Innocentium dubium suum de invaliditate Ordinis, suamque resolutionem de iterando Ordine fundasse in quodam Decreto Concilii apud Compendium; quod refertur sub nomine illius Concilii apud Gratianum caus. 1. q. 2. Can. 60.

Verum adverterent Eruditi, hoc Decretum in nullo Concilio apud Compendium repetiri. Extat autem in lib. 6. Capitularium Regum Francorum c. 94. neque antiquior ejus fons reperitur.

VI. Ut verò scrupulis anxietatis & dubitationis occasionem adimat Innocentius, addit: "Et certè de illo qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.

VII. Dicit præterea Innocentius in citato Capitulo 3. Quòd quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficitur procul dubio membrum Christi.

Illud autem quod dicit Fidem Sacramenti per quæ quis efficitur membrum Christi, vocari solet Baptismus flaminis de quo verbis Augustini dicitur apud Gratianum in Can. 34. Dist. 4. De consecrat. "Invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum Mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis factorum suorum: nec quia credidit passus est, sed dum patitur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, Quòd, ait Apostolus: Cor de creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum Mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

VIII. De eodem Flaminis Baptismo agit Pontifex in C. 2. De Presbytero non baptizato, respondens Cremonensi si Episcopo: "Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in S. Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solutum, & cælestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter.

Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium ad hæc verba: Esse adeptum, ait: "Potuisse adipsi, malim. Quid enim si alicujus occulti peccati reus mortuus est? Quid si non satisfecit pro aliis etiam confessus.

IX. Post hæc Episcopum remitti ad libros SS. Augustini & Ambrosii, addent hunc notandum sententiam: "Sopitis igitur questionibus Doctorum, Patrum sententias tenas, & in Ecclesiâ tua juges preces, hostiæque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.

X. Præter Baptismum Flaminis, meminit quoque Augustinus in citato Canone 34. & in Canone 37. Baptismi qui vulgo vocatur Baptismus Sanguinis: qui consistit in morte pro Christo tolerata; sive Martyrio; in quo proprio sanguine pro Christo fuso fidelis abluatur, antequam præ angustiis tēporis aliove impedimento vivificis Baptismi undis regeneretur; de quo in dicto Canone 37. sub nomine Augustini: "Catechumenum quavis in bonis operibus, defunctam vitam æternam habere non credimus, excepto Martyrio ubi tota Baptismi Sacramenta complentur." Et apertius ipse Augustinus lib. 3. De Civitate Dei cap. 7. Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi Confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quam si abluerentur sacro Fonte Baptismatis.

XI. Verum licet ex his sufficienter constet, Baptismum Flaminis [qui in perfecta peccatorum detestatione ex Dei amore, & desiderio recipiendi Sacramentorum Baptismi consistit] & Baptismum Sanguinis suppelere vices Sacramenti Baptismi, nihilominus certum est, neutrum esse Sacramentum; neque verum Baptismum de quo loquitur Christus dum ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire regnum Dei. Joan. 3. v. 5. Et ceteris: Euntes docete omnes gentes. Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28. v. 19.

Hic Baptismus aquæ, sive Fluminis est propriè dictus Baptismus; atque solus rationem veri Sacramenti novæ legis habet; appellaturque communiter, Sacramentum Regenerationis; eo quod per illum homo spiritualiter re-

generetur, live renascatur; constituiturque Filius Dei; & de hoc solo Baptismo hoc titulo tractabitur.

XII. Formam hujus Sacramenti clarè expressit Christus dum *Matthæi 28.* in jam relatis verbis Apostolos jussit baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Vnde Ecclesiæ Latina jam pridem hac forma usa fuit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quæ extat in Sacramentario S. Gregorii; & in veteri ordine Romano paulo post tempora S. Gregorii composito.*

XIII. Ecclesiæ Græca, uti legitur in eorum Rituali apud Iacobum Goar pag. 355. utitur hac forma: *Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & semper, & in secula seculorum amen.*

Hanc formam tanquam sufficientem probavit Eugenius IV. in Decreto Unionis Armenorum; quod extat in appendice Concilii Florentini tom. 13. Concil. col. 5291. Quoniaq; ait, eam principalis causa, ex qua Baptismus, virtutem habet, sit S. Trinitas, instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur, actus, qui per ipsum exercetur ministerium, S. Trinitas, in invocatione perficitur Sacramentum.

Itaque invocationem Sanctæ Trinitatis atque ipsarum Personarum distinctam expressionem in ipsa Baptismi colatione juxta Christi verba & mandatam Ecclesiæ observavit; eamque ad essentiam ac validitatem Baptismi necessariam suppositit minus sollicita quibus præcisè verbis ipse actus Ministris exprimitur, de quo nec patribus cum hæreticis fuisse contentionem legitimus; modo tamen [uti loquitur Eugenius IV. in citatis verbis] sufficienter exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministerium.

XIV. Vnde credendum est, quod Pontifex Cap. 1. *De Baptismo* dicens, "quod si quis puerum ter aqua immerferit in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, amen, non dixerit, EGO BAPTIZO TE in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, non est puer baptizatus;" eam invaliditatem non refundat in omissionem illorum formalium verborum, *Ego baptizo te*; cum illa verba Græci non adhibeant, sed in hoc potius, quod actus qui per ministrum exercetur, non censetur sufficienter expressus.

XV. Quemadmodum ex verbis Christi *Matth. 28.* ad Apostolos dictis, Ecclesiæ intellexit, invocationem SS. Trinitatis; & trium divinarum Personarum distinctam expressionem esse necessarium in Baptismo; ita ex verbis Christi ad Nicodemum *Joan. 3.* *Nisi quis renatus fuerit ex AQUA & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei,* intellexit, fideles esse regenerandos sive baptizandos in vera ac naturali aqua.

Vnde à quodam Episcopo interrogatus Innocentius III. "Vtrum parvuli sint pro Christianis habendi quos in articulo mortis constitutos propter aqua penuriam, & absentiam Sacerdotis, aliquo cum simplicitate in caput ac pectus ac inter scabulas pro Baptismo saltem conspersione, vel inivit?" Respondit Innocentius in Cap. 5. *De Baptismo.* "Quod cum in Baptismo duo semper, videlicet verbum & elementum necessario requirantur juxta quod de verbo Veritas ait: *Euntes in mundum universum prædicare Evangelium omni creaturae, & baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Eodemque dicit de elemento: *Nisi quis renatus fuerit ex AQUA & Spiritu S. non intrabit in regnum caelorum;* dubitare non debes, illos verum non habere Baptisum, in quibus non solum utrumque prædictorum, sed eorum alterum est omittum.

Et Synodus Tridentina *sess. 7. Can. 2. de Baptismo.* "Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Nostris JESU CHRISTI: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

XVI. Quæ verò dicenda sit vera & naturalis aqua, ex communi & vulgari loquendi usu judicandum est; neque

extra casum necessitatis adhibendus est liquor de quo dubium sit, num sit vera ac naturalis aqua, prout hæc communiter & vulgariter intelligitur: tametsi subtiliter philosophando speculativè defendi posset, liquorè illum essentialiter ab aqua naturali non differre.

XVII. Vbi cumque verò morale aliquod dubium subest, num liquor aliquis sit vera ac naturalis aqua [extra casum necessitatis ubi alius haberi nequit] nequaquam adhibendus; imò si Pastor aquam veram & naturalem habere possit, tametsi cum evidenti periculo vitæ, nequaquam possit cum liquore dubio tali casu infantem baptizare; sed deberet tunc juxta Christi mandatam, animam suam ponendo pro ovibus suis, aquam veram ac naturalem comparere; ne aliàs salutem æternam illius infantis periculo exponat; at rectè adverteat & multis profequatur *Parv. equi. de Baptismo c. 2. q. 2. casu 4. s. 1. & 2.*

XVIII. Quo ritu aqua adhiberi debeat, an per immersionem, ita ut ipse baptizandus aqua immergatur; an per infusionem sive asperersionem; ut nimirum aqua infundatur ipsi baptizando, non una opinio fuit, nec hodie est omnium Ecclesiarum disciplina.

XIX. In Ecclesiæ Orientali jam pridem immersionem usitatam fuisse, constat ex Cyrillo Hierosolymitano *catech. myst.agogica 2.* ubi alloquens receter baptizatos ait: " & confestim salutarem confessionem, & miseriter in aqua, rursus emeristis; ita per hæc symbola trijuanã Christi significasti sepulturam." Meminit quoque Sanctus Chryostomus *Homil. 6. in Epistolam ad Colossenses*, IMMERSIONIS in Baptismo adhibita; quin & hodie eum baptizandi ritum Euchologia sive ritualis Græcorum præscribunt, atque post expressam formam Baptismi monitum hoc subnequitur: *Unaquaque prolacione DEMERGENS & EDUCENS eum ex aqua.*

Ad hæc verba reflectens Iacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum pag. 365. n. 24. ait: *Antiquus IMMERSIONIS mos hic annotatur.*

XX. Quin & in Ecclesiæ Latina hunc immersionis ritum multis sæculis usitatum fuisse diffiteri non possumus. Et quidem sæculo 2. ordinarius solitumque fuisse testatur Tertulianus *libro de corona militis cap. 3.* ubi relatis nonnullis quæ Baptisum præcedunt ait: *Dehinc per MERGITAMVR.* Imò adeo constans erat hic baptizandi ritus ut quidam dubitare videntur de valore Baptismi per infusionem collati; uti colligere est ex quaestione à Magno proposita S. Cyprianus: "Quæstio [ait S. Cyprianus *Epist. 75.* ad Magnum] etiam Fisi charissime, quid mihi de illis videtur, qui in firmitate & languore gratiæ Dei conlequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi.

XXI. Et quidem ritus ille multis sæculis etiam in Ecclesiæ Latina perseveravit, uti videre est apud Authores qui de divinis officiis scripserunt; adeo ut S. Thomas etiã suo tempore judicaverit, *entius esse baptizare per modum IMMERSIONIS: quia, ait, hoc habet COMMUNIS usus;* parte q. 66. art. 7.

Constat tamen ex ipso Sancto Thoma ibidem *a. 8.* quod eodem tempore ritum infusionis seu asperersionis nonnulli adhibere inciperent.

XXII. Imò licet ritus immersionis esset communis, ac in omnibus passim Ecclesiis usitatus, tamen eum non esse de essentia Baptismi satis indicabant, qui de ejus usu scribebant.

Walfridus Strabo sæculo 9. scribit: "Notandum autè non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo, multos fuisse baptizatos, & adhuc posse ita baptizari, si necessitas sit, sicut in passione B. Laurentii quemdam verco allato legitur baptizatum. Hoc etiam solet evenire, cum proveciorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur." *Libro De Rebus Eccles. c. 26.*

Similiter S. Cyprianus validum existimasse Baptisum illius qui tantum esset perfusus, patet ex responsione ipsius ad quaestionem sibi à Magno propositam; dum ait:

U. de

Unde apparet ASPERSIONEM quoque aqua instar lavacris salutari obrinere. Quam resolutionem tamquam suo tempore certissimam, amplectitur & probat S. Augustinus *lib. 6. contra Donatistas c. 7.*

Vnde etiam Græci quamvis ex proscripto suorum Rituum debent baptizare immergendo; tamen teste Iacobo Goar loco jam citato, *infusione sepius utuntur.*

XXIII. Itaque ritus ille immersionis annuerendus est punctis disciplinæ, quæ pro temporum & locorum varietate mutari & variari possunt; quod etiam Rituale Romanum Pauli V. notari & singularum Ecclesiarum consuetudinem hic esse retinendam mandat. "Baptismus licet si fieri possit aut per infusionem aquæ aut per immersionem, aut per asperersionem; primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur.

XXIV. Ceterum circa infusionem observandum, eam debere esse talè, ut revera moraliter & vulgariter loquendo, baptizandus censetur ablutus; unde Pastorale Mechliniense loquens de aqua in Baptismo adhibenda ait: "Eam verò adhibeat Baptizans in notabili quantitate, sicut ablutio non aspersio merito censetur.

Nullatenus ergo probandum, quod Pastor tempore peste infecta aspergillo baptizaret; eo ferè modo, quo Sacerdotes in templis populum aspergunt aqua lustrali; quã praxim latè improbat *Parvacquius c. 5. q. 4. casu 2.*

XXV. Vltimus infusio aquæ ita adhibenda est, ut ipse baptizatus dicatur verè ablutus; ideoque imprimis monet Pastorale Mechliniense, ut baptizans sit sollicitus, ut ablutio non tantum fiat in capellis sed IN CUTE. Deinde requiritur, ut abluta pars aliqua notabilis, ratione cujus ipse baptizandus moraliter dici queat ablutus.

XXVI. Quæ verò sit dicenda notabilis pars, vix aliter quam ex communi Ecclesiæ praxi & piorum fidelium fide determinari potest; censeturque communi existimatione talis pars ipsius Caput infantis; neque aliud membrum hodie saltem in Ecclesiæ Latina abluere solet; sed nec alterius solius membri ablationem extra casum necessitatis permitti Rituale Romanum dicens: "Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Sed si infans caput emiserit, & periculum mortis imminet baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emerferit, quod vitalem indicet motum in illo, si periculum impendeat, baptizatur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo supra dictam est: *Si non es baptizatus ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Si verò ita baptizatus deinde de mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.

XXVII. Iacobus Goar ubi testatur Græcos hodie interdum per infusionem baptizare, unà monet: "Quoad enim licuit observare puerum sedentem in vase vel pelvi ad cubitum profundo, ter superinfusa non modica quantitate aqua calida purificat. Vel certè ne aqua copia obruatur, & fortè nimiam eporet, pronum positum, & si nistra in ventre sustentatum, Sacerdos capite & toto corpore salutari aquis abluat & lustrat.

XXVIII. Trinam merfionem olim usitatam fuisse constat ex S. Augustino aliisque Patribus quos refert Gratianus *Dist. 4. de Consecratione Can. 78.* & sequentibus; quin & Canone 50. vulgo *Apostolorum*, relatus à Gratiano ibidem *Can. 79.* vult ut "si quis Presbyter aut Episcopus non trinam merfionem uniusm ysterii celebret, sed semel mergat Baptisum, deponatur.

Quin & ibidem apud Gratianum *Can. 82.* sub nomine Pelagii Papæ ad Gaudentium refertur: "Multi sunt qui in nomine solummodo Christi una etiam merfione se alferunt baptizare. Evangelicum verò præceptum ipso Deo, Domino Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, *trina etiam merfione* sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino Discipulis suis: *Ita, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus S.*

XXIX. Hæc aliaque à Gratiano relata testimonia sufficienter evincunt, trinam merfionem jam à primis sæculis fuisse usitatam, atque ex Apostolica quodammodo traditione descendere; at eam spectare ad essentiam Baptismi nequaquam evincunt. Imò non nisi ad disciplinam [circa quam varia potest esse Ecclesiastica consuetudo] pertinere sine ulla dubietate respondit S. Leandro Hispalensi Episcopo Sanctus Gregorius *lib. 1. Epist. 41.* referunturq; à Gratiano loco citato *Can. 80.* "De trinam merfione baptisum, nihil responderi verius potest, quam quod ipsi modo diverfa; Nos autem quod tertio mergimus triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus; ut dum tertio infans ab aquis educitur, cesurrexio triduanti temporis exprimitur. Quod si quis fortè etiam pro Summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque istud aliquid obstitit baptizandos semel in aquis mergere, quia dum in tribus Personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismo vel ter, vel semel immergere; quando & in tribus merfionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari."

XXX. Circa idem tempus Patres Concilii toletani IV. intelligentes inter Sacerdotes summas esse de trina vel simpla merfione contentiones; atque Arianos ex trina illa merfione arguere trinitatem essentiam in Personis, auctoritate S. Gregorii freti decreverunt *Can. 6.* "Propter vitandum scismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi merfionem; ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum brobare asserptionem, dum sequantur & morem. Et ne fortè dubium hujus simpli mysterii Sacramenti... videat in eo unitatem Divinitatis, & Trinitatem Personarum ostendunt, unitatem dum semel immergimus; Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizamur."

In antiquo Sacramentario Gallicano, quod ex antiquo codice manuscripto Monasterii Bobiensis edidit vir eruditus Ioannes Mabillonius *romo 1. Musæi Italici* quem eodidem scriptum ante annos mille ex caractere conjicit Mabillonius juxtà formulam Baptismi his verbis expressa *pagina 324.* *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, VNAM HABENTEM SVBSTANTIAM, ut habear vitam æternam, partem cum Sanctis.*

Si Sacramentarium illud compositum sit ad usum Ecclesiæ Gallicanæ ante annos mille; adeoque circa sæculum 7. quo dictum Toleranum Concilium habitum fuit, mirum non est, si hæc verba, unam habentem substantiam, ad vitandum Arianorum errorem addenda censuerint, sicuti Patris Toletani eodem motivo simplam merfionem adhiberi voluerunt.

Interim hæc notare possumus, Ecclesiam interdum ritus aliquos quantumvis antiquitate venerandos mutare, ubi id ob nascentes errores magis convenire judicat.

XXXI. Pastores verò alique inferiores ministri in his observare debent regulam quam in similibus tradidit S. Augustinus *epist. 54.* ad Ianuarium: "Nec disciplina ulla in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiã ad quam fortè devenit, Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est tenendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem, servandum est."

CAPUT II. De ministro, loco & tempore administrandi Baptismi

- 1. Ordinarius Minister Baptismi olim fuit Episcopus.
- 2. Olim Episcopi per se Baptisum conferebant.

3. Quo-